

LUCRETIANA

DE FONTE GRAECO LUCRETII

Cicero ad Papirium Paetum (ad fam. IX 25, 1) ita scripsit: «Plane nesciebam te tam peritum esse rei militaris; *Pyrrhi* te libros et *Cineae* video lectitasse; itaque obtemperare cogito praeceptis tuis, hoc amplius: navicularum habere aliquid in ora maritima». His Ciceronis verbis ad Lucretii versus II 40-44 ducimur, ubi pauca de re militari et potissimum de «naviculis» dicuntur (dum idem poeta II 323-332 non iam de navibus loquitur). Lucretius hoc modo exercitum classemque (in libro II 40-44) describit,

«...tuas legiones per loca campi
fervere cum videas belli simulacra cientis
subsidiis magnis Epiri constabilitas
ornatas armis scafulas mariterque animatas,
fervere cum videas classem lateque vagari».

Cicero igitur in illa epistula opera Graeca de re militari a rege *Pyrrho* eiusque legato *Cinea* scripta etiam Romae primo a. Chr. n. saeculo exstitisse ait; longius autem de illo Ciceronis vocabulo «navicularum» disputantes ad hanc conclusionem perveniemus: in illis libris Graecis de parvis navibus agebatur, ut Cicero voce deminutiva «navicularum» (non tamen «navium») uteretur; ac simili modo etiam Lucretius formam deminutivam «scafulas» (non autem «scafas») adhibuit (II 43), qua voce Graeca nihil nisi «naviculae» Latine significantur; legiones enim «scafulas» ad flumen transmittendum vel ad milites litori appellendos arcessebant, ut Vegetius in «epitoma rei militaris» exponit (edit. Teubneriana Caroli Lang, Lipsiae 1885 pg. 81, 5 et 165, 4); quae res vel in exercitu regis *Pyrrhi* a Graecia in Italiam transeunte in usu fuerit; illas itaque scafulas Lucretius non solum ex narrationibus aequalium et amici Memmii cognovit, sed etiam fortasse legendo haec ipsa *Pyrrhi* et *Cineae*

scripta militaria ad carmen usurpavit; id quod II 42 insuper hisce vocabulis «subsidiis magnis *Epiri* constabilitas» fulcitur; ex Epiro certe saepenumero subsidia exercitus Romani venerunt, quemadmodum iterum idem Vegetius in eadem testatur «epitoma rei militaris» (eiusdem editionis Caroli Lang pg 29, 12): «Nonne *Epiri* armis plurimum aliquando valuerunt?» Illi certo loci ex Vegetio sumpti fragmenta ex operibus Pyrrhi et Cineae oriunda haberi possunt; et in Lucretio II 42 «subsidiis magnis *Epiri* constabilitas «solum» *Epiri* (ex falsa scriptura «*Epicuri*») recte restituendum esse quivis perfacile sibi persuadebit; ab eodem fonte regis Pyrrhi alius Vegetii locus derivandus videtur, ubi de elephantis agitur; in «epitoma rei militaris» pg 115, 16 haec leguntur: «Hos (scilicet: elephantos) contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit»; tales beluas Lucretius quoque V 1302 «boves lucas» commemorat, quo versu denuo ad regis Pyrrhi opus militare redire iubemur; ceterum ratio satis arta intercedit inter Lucretii versum V 1304 «turbare catervas» et Vegetii locum pg 115, 16 «conturbavit». In Lucretio II 43 tandem modo «scafulas mariterque animatas» (non «pariter») scribendum est; nam «pariter» tantum ad illud antecedens «armis» referri debet; sensu autem cassum est dicere «scafulas (=naviculas) armis animatas»; optime tamen intellegi potest «mariter», quod idem ac «viriliter» vel «fortiter» valet; nam «mas» est vox militaris; et forlitter animatae sunt scafulae, quod ibi milites, ergo mares audaces, transvehuntur: immanis error «pariter» auctoritate Lachmanni in editiones Lucretii summa iniuria irrepsit, cum codices aliter scribant.

Praeter Ciceronis epistulam ad Paetum missam deinde Aelianus quoque, cui cognomen «Tacticus» est, Traiano imperatore (98-117 p. Chr. n.) librorum Pyrrhi et Cineae mentionem ita facit: *Αινείας... στρατηγικά βιβλία... συνταξάμενος ὡν ἐπιτομήν ὁ Θετταλὸς Κινέας ἐποίησε Πύρρος τε ὁ Ἡπειρώτης τακτικὰ συνέταξε*. Haec verba inveniuntur in eo volumine quod inscribitur: *Griechische Kriegsschriftsteller von H. Koechly und W. Ruestow. Aelians Theorie der Taktik* (Leipzig 1855, II 240). Aeliani testimonio libri regis Pyrrhi et Cineae accuratius quam a Cicerone nominantur; de his paribus scriptoribus Graecis cf. etiam Franz Susemihl: *Geschichte der griechischen Literatur in der Alexandrinerzeit I* (Leipzig 1891) 559.

Iam ex epistula Ciceronis ad Paetum scripta etiam Tullium,

aequalium Romanorum virum doctissimum, illa auctorum Graecorum opera militaria novisse et legisse intelleximus; si porro Cicero illa cognovit, Lucretius quoque eadem nosse ac legere potuit. Quin etiam Ciceronem saepius cum Lucretio amico de sententiis carminis «de rerum natura» et de libris similibus ad idem propositum (περὶ φύσεως) spectantibus collocutum esse probabile est; quod quidem nonnullis sententiarum consensionibus poetae Lucretii et viri litteratissimi Ciceronis in huius epistulis obvii ostendi potest. Lucretius id genus libros, qui «de rerum natura» tractabant, ex Epicureorum Romanorum disciplina, qua poeta Romae institutus erat, accipere facile habebat; neque enim scripta Epicuri doctrinam explicantia tam rara Romae tunc temporis erant: Lucius quidem Papirius Paetus, ad quem Cicero illam epistulam (ad fam. IX 25) dedit, patrualem habuit Servium Claudium, qui omnes suos libros Ciceroni donavit (cf. R E «Papirius» 69 col. 1072); iste Servius autem Claudius erat item Epicureus ac Papirius Paetus; uterque prope Neapolim habitabat, quae urbs tum sedes scholae Epicureorum erat; huius sectae princeps Siron fuit, quem Cicero amicum (cf. ad fam. VI 11, 2) habebat et virum optimum doctissimumque aestimabat (cf. Academ. prior. II 106; de finibus II 119); ille Siron Puteolis ad Neapolim situs domum habebat (cf. Guilelmus Croenert: Kolotes und Menedemos, Leipzig 1906, 12 5-127). Siron (cf. R E «Siron»), qui circa annum a. Chr. n. 90 in Graecia natus est, ut equidem suspicor, etiam Lucretium anno a. Chr. n. 98 natum aequalem et sodalem eiusdem philosophiae cognovisse videtur. Cicero Sironem magni faciens ac Lucretii carmen postumum in lucem edens hos ambos Epicureos ut ingenia amicosque admiratus est, etsi ipse placita Epicuri et argumenta reicere solebat. Hac de tanta igitur Ciceronis bibliotheca Lucretius fructus ad carmen docte Graecis quoque operibus exornandum capere potuit. De hisce ergo duobus libris Graecorum militaribus imprimis illud opus, quod Cineas composuit, Epicureorum Romanorum interesse debebat; Cineas enim non solum legatus regis Pyrrhi fuit, sed etiam philosophus Epicureus claruit (cf. Cicero: Cato Maior 43. Plutarchus: vita Pyrrhi 20); quamobrem etiam Lucretius potissimum scripto Cineae nescio an studere potuerit; nam ille Cineas erat homo eruditissimus aequae ac Lucretius artibus liberalibus doctrinisque deditus neque tamen tantopere rebus bellicis manu gerendis natus

quantopere rex Pyrrhus, qui «bellipotens magis quam sapientipotens» erat. Summopere vero Cineas philosophus gloria doctrinae Epicureae Lucretium potuit allicere; nam ut Epicurus ipse illud «dulce et decorum est pro patria mori» (ex Horatio notum) effatus «hedonismum» (= vitam dulcem suavemque) docuerat, ita Cineae quoque voluptas vivendi et agendi summum vitae bonum esse videbatur; ceterum in Cineae libro easdem belli gerendi rationes et strategemata infuisse veri simillimum est atque in Pyrrhi opere, praesertim cum inter illos viros bellicae socios nullum discrimen cogitationum intercederet, sed potius plena sententiarum consensio atque finium consiliorumque adesset. Cineas cum anno a. Chr. n. 279 Romae legatus regis Pyrrhi (319-272) moraretur, non modo rerum politicarum rationem habuit, verum etiam sententias philosophiae Epicureae coram protulisse ac velut princeps primusque Epicureus in urbe Roma exstitisse videtur; fortasse hic Cineas philosophus illo anno (279) plus centum annis ante iam idem fecerat, quod anno a. Chr. n. 155 illi clarissimi philosophi Athenienses Carneades, Critolaus, Diogenes fecerunt, qui Romae legati partim res politicas tractabant, partim philosophi suam quisque sapientiam pro litteratis Romanis eloquenter profitebantur.

Aliud deinceps accedit testimonium satis magni momenti ad fontem Graecum Lucretii confirmandum illud fragmentum «Annalium» Ennii (apud Ciceronis opus de officiis I 12, 38 obvium), quod ad extremum adiungatur (cf. Ennianae poeseos reliquiae iteratis curis recensuit Iohannes Vahlen, Lipsiae 1903, pg. 35-36. Annalium lib. VI, Pyrrhi bellum fr. XII, vs. 194-201); qui versus ad orationem regis Pyrrhi spectant; Ennius (239-169) stipendiis in Sardinia factis anno 204 Romam pervenit, ubi ut poeta vitam agebat et poeta Livio Andronico familiariter utebatur; de his duobus viribus Suetonius (de grammaticis 1) ita indicavit: «Nihil amplius quam *Graecos* interpretabantur aut siquid ipsi Latine composuissent, praelegebant. «Ennius igitur ad «Annales» componendos quam plurimis fontibus Graecis et ad expeditiones, quas rex Pyrrhus in Italiam fecit, narrandas maxime libris a rege illo ipso scriptis usus est; Ennius praeter duces Carthaginenses imprimis Pyrrhum, imperatorem Graecum hostemque Romanorum gravissimum in «Annalibus» late describendo proponere debebat; ut erat poeta priscorum temporum, Ennius ex libris Graecis unam sententiam post alteram excerpsit et

verbum post verbum Graecum diligenter Latine reddidit (ut opinatur Ernestus Bickel: *Geschichte der roemischen Literatur*, Heidelberg 1937, pg. 108); hoc modo istud fragmentum «Annalium» quod Cicero de officiis I 12, 38 laudat verba prope genuina regis Pyrrhi continere videtur; etiam Ennius Epicuri sapientiam secutus est, ut idem Ernestus Bickel eodem in libro p. 113 arbitratur; nam Ennius scaen. fr. 316 eandem sententiam de dis eloquitur, quam Epicurus docet: caelestes deos res hominum non curare. Lucretius porro I 117 et 121 Ennium tamquam Homerum Romanum celebrans poeseos Enniana peritissimus eiusque summus fuisse admirator atque imitator potest existimari; ut enim Ennius ingenio liberalissimo atque apertissimo res observabat et tractabat, ita Lucretius Sullana tempestate mentem Ennii perfecte repraesentavit; Lucretius morem Ennii Romane cogitandi, versus prisce formandi, res liberrime atque ingenue disserendi in carmine Epicureo «de rerum natura» continuavit; hac ratione Lucretius de re militari partim Ennio: partim auctoribus Epicureis nisus agere pollebat; quin potius fieri poterat, ut Ennius et Lucretius eodem Pyrrhi vel Cineae vel simul amborum libris Graecorum uteretur; Lucretium postremo ex Ennii «Annalibus» in Graeco fundamento constructis plures sententias cuiusvis generis in proprium poema suscipere potuisse veri simillimum videtur esse.

Ut postremo disquiramus, qua ex bibliotheca Lucretius Romae illa duo Graecorum opera militaria accipere potuerit, ita iudicamus: Si Servius Claudius libros Ciceroni Lucretio iam mortuo donaverat, aliae bibliothecae poetae studiis commodo esse poterant; ut exempla afferam, Atticus homo ditissimus ab anno 86 ad annum 65 Athenis vitam degens innumeros libros Graecos emit et Romam portavit; Atticus Epicureismo favebat et Lucretio quoque omnia auxilia ad carmen proficiendum praebere poterat; praeterea Tyrannio, grammaticus Graecus, illis temporibus Romae vivens et docens, bibliothecam triginta milium voluminum possidebat; etiam schola Epicureorum Romana multa Epicuri opera eiusque discipulorum continebat; in omnibus autem hominum eruditorum bibliothecis tunc temporis multo plures libri Graeci quam Latini reperiebantur; et quod Horatius (in arte poetica) dixit 268 / 269 : «...Vos exemplaria Graeca nocturna versate manu, versate diurna», etiam ad Lucretii tempora spectabat; cf. ultro Sallustius «bellum lugurthinum» c. 85, 12 «Graecorum militaria praecepta».

Quaestionem tandem de Lucretii fonte Graeco ita concludamus ut hanc probabilem opinionem proponamus: Lucretius rem militarem II 40-44 (et II 323-332) describens iis sententiis Cineae et regis Pyrrhi nitebatur, quae iam ab Ennio et postea ab Epicureis Graecis et Romanis in scholis tradebantur et legebantur.

VARIA CRITICA IN LUCRETIIUM

4, 1168 codices exhibent hanc lectionem: «iamina» quae vox a nullo fere viro docto intellecta est; attamen vera est; nam *Hesychius Alexandrinus* offert in «lexico» (quod recensuit *Mauricius Schmidt* vol. II Ienae 1860 pg. 23 nr. 720-722) εἰαμενή, id quod Latine «iamena» sonat cum longa vocali «i»; ego, contra codices, ita («iamena») scribo pro «iamina»; nam secunda littera «i» falso pro recta «e» posita est; «iamena» significat figuram corporis feminei tumidam latamque una cum altis mammis, et est idem paene aq̄ sequens vox «mammosa»; fortasse non abest similitudo cum adiectivo «palustris» apud *Persium* 5, 60. Ad omnes casus, «iamena» in textu retineri oportet; nam ista vox Graeca ad cetera meretricum nomina Graeca optime adiungi potest in versibus IV 1160-1169 obvia, quibus praetibula portuensia Puteolorum notantur; illa vocabula foedarum feminarum Lucretius ipse in maximo Italiae portu Puteolis audivisse potuit; ibi nautae enim ex Asia oriundi navibus aggressi Graece loquentes puellas Graecas adire solebant, quas consuetudines Lucretius observare poterat. Puteoli prope Neapolim siti sunt (hodie: *Pozzuoli*); in urbe Neapoli autem schola Epicureorum magni momenti collocata erat, ibique *Siron*, Graeca natione, multos Romanos doctrinam Epicuri instituebat; idem *Siron* una cum *Philodemo* Epicureo philosopho et poeta etiam a *Cicerone* magni sic aestimabatur «familiares nostros, credo, *Sironem* dicis et *Philodemum*, cum optimos viros tum homines doctissimos» (de finibus II 35, 119). Ut *Siron* et *Philodemus* (110-c. 40 a. Chr. n.) *Ciceronis* (106-43) aequales fuerunt, sic *Lucretius* (98-55) quoque aequalis paulo iunior horum trium virorum exstitit; ut postea *Vergilius* Neapoli scholis *Sironis* utebatur, ita *Lucretius* antea consuetudine et amicitia eiusdem *Sironis* aequalis frui poterat; et fieri potuit ut ambo Puteolos occasione data frequentarent. Unde conicere licet aliquos carminis locos Lucretii res Puteolanas describere.

5, 311-312 «denique non monumenta virum dilapsa videmus.

Quae crepero poro minimumque senescere credas?».

Hunc versum 312 iam prius emendavi cuius ad interpretationem hoc loco pauca adiungam; «crepero poro» est ablativus qualitatis pertinens ad «quae» (scl. monumenta); »quae» est contractio et attractio relativa composita ex coniunctione «cum» concessivo (=quamquam) et pronominis «ea» (=monimenta) «minimumque» significat «etiam (=vel) minimum» (=wohl noch am wenigsten). Codices praebent hanc scripturam: «sibicumque», quae falsa est et hac via videtur orta esse: primo a poeta scriptum est «minimumque» quae est negatio ad «senescere» spectans; deinde mihi cumque (vel prius: mihi minimumque) ponebatur, pro «mihi» postea «sibi» locabatur et «cumque» pro «mumque» quod postremo prorsus stupidum relinquebatur; necessarium erat utique negationem ad «senescere» postulare et praefigere. De voce «porus» nonnulla dicenda habeo: «porus (πῶρος) a Plinio Nat. Hist. 36, 53 et 36, 132 commemoratur; est lapis durissimus; cf Heinrich Nissen: Italische Landeskunde. Erster Band. Land und Leute (Berlin 1883 Weidmann) 256-264. Vitruvius quoque «de architectura» (libri decem edidit F. Krohn, Lipsiae 1912 Teubneriana) II 7, 1 loquitur de generibus «rubrum (=rubrorum) et nigrum (=nigrorum) tofum (=toforum)»; ergo «niger tofus» (=Vulkantuff) Vitruvii est idem atque «creper porus» Lucretii; hunc «nigrum tofum» (=creperum porum) etiam Festus pg 177 sub voce «niger lapis» intellegit; niger lapis in Comitia locum funestum significat; hic «locus funestus» nihil aliud nisi sepulcrum Romuli repraesentat; cf. Marion Elizabeth Blake: «Ancient Roman Construction in Italy» (Washington 1947 pg. 23-44 pg. 378). Ex quibus rebus omnibus deduci potest veri simillimum esse Lucretium versibus 5, 311-312 «monimenta virum» maxime sepulcrum Romuli Romae respexisse.

5, 1442 «tum mare velivolis florebat propter *oporas*».

Codices falso exhibent hanc scriptionem: «propter odores»; neque enim de odoribus hoc loco agitur, sed de messibus ex terris Asiae et Africae in Italiam transportandis; quae messes Graece ὀπώραι vocantur; quo vocabulo Lucretius metri necessitate coactus usus est; formam OPORAS librarius nescius primo in ODORAS, sequens autem scriba iam in ODORES mutavit; poeta saepius ver-

ba Graeca adhibuit, ut exemplum afferam 5, 312 «quae crepero poro» ubi pro «poro» (= πῶρος) etiam «topho» (= Tuff) scribere potuit; ad hunc Lucretii morem Graece loquendi cf. Cyril Bailey «Lucretius» I (Oxford 1947) 138; etiam hac de causa «oporas» poeta scripsit, ut unde naves venirent, Asiam Minorem et Graece dicentes eius incolas indicaret; illae naves Puteolos appulerunt: id quod Lucretius habebat observitare. De Puteolis cf. Heinrick Nissen. Italische Landeskunde. Zweiter Band: Die Staedte (Berlin 1902 Weidmann) 739; praeterea Ludwig Friedlaender: Petronius «cena Trimalchionis» (Leipzig 1906 Hirzel) 73-76: Ludwig Friedlaender: «Sittengeschichte Roms» I (Leipzig 1919, 9. Aufl. Hirzel) 421-425.

DE SIRONE EPICUREO

Ad eundem *Lucretium* haec quoque pertinet quaestio de *Sirone*.

Siron, Epicureus Graecus, a Cicerone amico tribus locis commemoratur: de fin. 2, 35, 119. Acad. pr. 22, 33, 106. epist. ad fam. 6, 11, 2; maxime vero ex hac epistula potest effici Sironem anno a. Chr. n. 45 Puteolis prope Neapolim, non autem in urbe ipsa Neapoli, habitasse (cf. Hildegard Disch: De poetis aevi Augusti Epicureis, Bonnae. dissert. 1921 pg. 14; praeterea Guilelmus (Wilhelm) Croenert: Kolotes und Menedemus (Leipzig 1906) pg. 125-127) Unde simul etiam hoc concludere licet eundem Sironem non Neapoli, sed Puteolis, quae urbs Graeca maximusque Italiae portus tunc temporis ducebatur, scholam Epicuream habuisse. Si Puteolis etiam diutius Siron fuerit et docuerit et illae Graecae meretrices apud Lucretium 4, 1160-1169 obviae in urbe Puteolis residentes agnoscantur, non longe a veritate abest opinio Lucretium ipsum quoque Puteolis aliquamdiu fuisse; quin etiam esse verisimile patet Lucretium discipulum quendam Sironis fuisse, quippe qui Graecus iste doctor eosdem fere annos natus atque Cicero et hac de ratione Lucretio decem prope annos maior natus fuerit; accedit quod Philodemus quoque poeta Graecus Gadarensis sectae Epicureae adhaerebat Ciceronisque amicus et Sironis familiaris erat; quibus de causis fortasse Lucretius consuetudine Philodemi usus etiam ab eodem Graeco de Epicuri dogmatis eorumque vocibus Latinis quodammodo Puteolis quoque institutus esse videtur; postremo illum Lucretii versum 5, 1442 «iam mare velivolis florebat propter oporas» ad

portum Puteolorum referendum esse, ut iam diximus, valde probabile est, quoniam illud vocabulum Graecum «oporas» (ὀπώρα) messibus com meatibusque ex orientibus terris Graecis importatis atque ob illum portum Graecum Puteolorum a Lucretio ex industria delectum videtur esse. Lucretius igitur ipse tamquam testis oculatus nonnullas sui carminis res ad Puteolos nescio an rettulerit.

EMIL ORTH.